

**2008-04-02 – SS Benedictus XVI – Epistula ‘Divino Spirito’**

BENEDICTVS XVI

***EPISTULA GODEFRIDO S. R. E. CARDINALI DANEELS,  
ARCHIEPISCOPO METROPOLITAE MECHLINIENSI-BRUXELLENSI***

*Venerabili Fratri Nostro  
GODEFRIDO S.R.E. CARDINALI DANNEELS  
Archiepiscopo Metropolitae Mechliniensi-Bruxellensi*

Divino Spiritu operam comitante suaque gratia largiter fecundante sanctus Villibrordus, una cum aliis sociis, plerumque monachis Benedictinis, ferventer efficaciterque septimo et octavo saeculo evangelizavit amplas Europae regiones. Cum quidem aetate nostra communes Europae christiana radices iterum requirendae sint, omnino laudabile videtur consilium, de quo ad Nos relatum est, videlicet incepturn anniversariam celebrandi memoriam diei natalis eiusdem sancti, qui abhinc MCCCL annos ortus est, atque Romae a Decessore Nostro sancto Sergio I anno DCXCV episcopus est constitutus.

Hic vero Evangelii assiduus praedicator, humilis mysteriorum Dei dispensator, pauperum et principum probus amicus, benignus pater, iustus et sanctus, varias inter difficultates numquam a pastorali destitit ministerio. Adiuvantibus autem Irmina et Pipino II principibus, monasterium exstruxit in loco Echternach, intra fines Ducatus Luxemburgensis, ubi etiam anno DCCXXXIX meritis onustus animam suam sanctam Domino reddidit.

Cupientes Nos eidem tribuere honorem, simulque hortari populos, qui eius apostolicam industriam olim sunt experti, ad christianam fidem spem et caritatem renovandas, libenter accepimus petitionem Venerabilis Fratris Ferdinandi Franck, Archiepiscopi Luxemburgensis, qui humane a Nobis poposcit ut Patrem Purpuratum mitteremus ad memoratum sancti Villibrordi iubilaeum sollemniter celebrandum. Ad te igitur, Venerabilis Frater Noster, qui tot per annos cotidiana actuositate pro concredita tibi parte Ecclesiae insignem te confirmasti Domini Iesu ministrum Nostrumque cooperatorem, qui polles etiam sermonibus his in locis adhibitis, fidentes recurrimus teque his Litteris Nostrum **Missum Extraordinarium** ad memoratam celebrationem destinamus.

Quocirca diebus XI-XIII proximi mensis Maii liturgicis celebrationibus Nostro nomine Luxemburgi praesidebis Nostramque omnibus significabis salutationem. Populum hortaberis ad constantem erga sanctum Villibrordum devotionem, ut ipse a Christo Domino rectam vitam, altissimam erga divinam legem reverentiam, sinceram caritatem, serenam cum aliis hominibus consuetudinem obtineat atque christiana fides in Europaeis gentibus confirmetur.

Denique Benedictionem Nostram Apostolicam imo ex corde tibi impertimus, Venerabilis Frater Noster, dilectis quoque Pastoribus et Christifidelibus illic congregatis cunctisque faustum hunc eventum participantibus peramanter dilargiendam.

*Ex Aedibus Vaticanis, die II mensis Aprilis, anno MMVIII, Pontificatus Nostri tertio.*

BENEDICTUS PP. XVI